deum et ad uitam ęternam. Hunc ergo zelum feruentissimo amore exerceant monachi: id est ut honore se inuicem preueniant. infirmitates suas siue corporum siue morum. pacientissime tolerent. obedientiam sibi certatim inpendant. Nullus quod sibi utile iudicat sequatur. sed quod magis alii. Caritatem fraternitatis. casto inpendant amore. Deum timeant. abbatem suum sincera et humili caritate diligant. Christo omnino nichil preponant. qui nos pariter ad uitam eternam perducat amen.

De eo quod non omnis iusticię obseruatio in hac sit regula constituta.

Regulam hanc descripsimus. ut eam obseruantes in monasteriis. aliquatenus uel honestatem morum. aut inicium conuersationis nos demonstremus habere. Ceterum ad perfectionem conuersationis qui festinat. sunt doctrinę sanctorum patrum. quarum obseruatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quę enim pagina. aut quis sermo diuinę auctoritatis ueteris ac noui testamenti. non est rectissima norma uitę hu